



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVI. Clericorum delicta feueriùs punienda, quàm Laicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

modestia Episcopus praebeat, qualem habere populus exemplaris ad imitandum propositi loco possit.

Iterum, iterumque Episcopus castitatem, modestiam, pietatem, omnes Christianas virtutes indicat, praedicat, inculcat, in domo vitia vigeant, petuntur, laetitia, lascivia, remeritas: quod si suos correxerit, ac bene composuerit, omnes in Dei opere adiutores habebit.

Detestanda est igitur quorundam visitatorum malitia, qui ipsi anari, ebriosi, in populo, & clero nihil emendant, satis arbitrati si nummos corrogent. Sed si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?

CAPVT XV.

Ratio visitationis in Concilio Mediolanensi 4. praescripta.

Visitatio tollat comensationem, non adferat.
§. I. **L**VCRA aut comensationem in visitatione tur animarum ad diuinam gloriam scopus est visitationis. Mirum est haec in Ecclesiam vitia irrupisse, insigne specimen est, ex Concilio Tol. & 4. siue ex Triburienti 10. q. 1. c. 9.

Visitatio medicina est.
Verum parum est vitia visitantium abesse, nisi corrigantur mores cleri, & plebis; Medicus enim vt bonus censetur, haud satis est, vt sit ipse sanus, sed opus est in super, vt sanet agrotum. Multis modis visitatio à Concilio Mediolanensi 4. describitur, habitum est illud à S. Carolo Archiepiscopo tempore Gregor. 13. anno 1573. Hanc reddere opera precium duxi, vt praefules ad eum modum, demptis, additis, mutatis pro temporum, locorum, negotiorum varietate quibusdam, suis diocesibus accommodat. ordo visitationis ille est.

Episcopus per se annue visitet, si fieri potest.
§. 2. Necessarium illud ac plane debitum visitandi munus, quod ex sanctione Tridentina praestari oportet, prouincia nostra Episcopi, ita solite exequantur, vt sua quique vrbes ac dioecesis visitationem singulis ipsis annis, aut si per dioecesis amplitudinem non possunt, biennio ad summum ipsi per se conficiant. Si vero legitima occupatione, causaue impedit, id muneris aliquando per se ipsos obire nequeunt. Vicarios generales, visitatoresque alios, huius rei vsu peritos atque idoneos adhibeant, qui visitationis officium sedulo, vt par est, praescripto tempore exequantur.

Canonicos adiutores habebunt.
Cum vero visitationis munus ipsi per se obeunt, vel vnum, vel duos canonicos, vel alios quoscumque homines Ecclesiasticos, quos vsui & adiumento sibi fore viderint, prout maluerint, secum in ea visitandi cura adhibeant.

Homines 10. iumenta 7. habere poterit, ita vt ipse sit decimus.
Ne deinceps plures quam homines decem, & iumenta septem ad summum secum in visitando ducant, supputata hoc numero Episcopi etiam persona, ac illius Ecclesiastici viri, quæ ex huius Concilii decreto Episcopus quisque aliquando praemittet: suis tamen propriis sumptibus licebit eis plures conducere. At vero, qui Episcopis gradu inferiores sunt, in visitatione non ge pauciores homines, & iumenta adhibeant.

Hocque decreto derogatum sit alteri, in Concilio primo prouinciali edito.

Mensa sit modesta, frugalis.
Laiorum hospitia, eoque magis conuiuia, vt maxime possunt, omnes fugiant; sin autem ad illos diuertere aliquando necesse erit, cum cetera seruent, tum imprimis caueant, vt ne extra mensa Episcopalis & clericalis modum, regulaeque in visitatione praescriptae, quicquam omnino ab hospitibus appareretur, apponatur.

Notarii munera ne accipiant.
Notarius autem cancellariusue, ne quicquam pro visitatione ab iis qui visitantur, vilo quouis nomine exigat, neque vllam doni, etiam pusilli quocumque modo oblata, genus accipiat, ac ne item pro decretorum, ordinationumue in visitatione confectarum actione vel conscriptione, earumue exemplo, etiam singulis vel Ecclesiis, vel clericis, vel aliis qui visitantur, iussu visitantis edito. At pro opera laborumque, quem alterius, cuius interest, illarum exempla alio deinceps tempore perentis,

causa in iis exscribendis posuerit, mercedem capiat, licet, pro taxa in foro Episcopali praefixa aut praefigenda ratione.

Episcopi, qui ceteris omni bene sancteque agendi exemplo praere debent, antequam cleri populique visitationem ineant, a se suaque familia visitandi initium vtiliter facient, quo reliqui omnes domestice illius visitationis actione executioneque incitati, pastora in iussa qua ipsi visitando praescripserint, promptius ac studiosius exequantur.

Diligentiam vero omnem visitando adhibeant, non modo in Ecclesiarum cultu & ornamento tuendo, augendo, sed maxime in omni & cleri & populi pristina Christiana disciplina restituenda; in vtriusque item moribus cognoscendis, infirmisque deprauatis corrigendis. In eaque vel visitatione, vel morum correctione etiam tanquam sedis Apostolicae delegati, auctoritate Tridentini Concilii statuunt, moderentur, puniant, & exequantur ad sacrorum canonum praescriptum, quacumque illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, & dioecesis suae vilitate necessaria videbuntur. In iis, neque vlla inhibito, appellatio, aliudque quicquam impediatur, aut retardetur executionem eorum, qua ipsi mandarint, aut iudicauerint, decreuerint.

CAPVT XVI.

Clericorum delicta seuerius puniendae quam Laicorum.

Clerici grauius puniendi.
§. I. **V**ISITATIO duo proposita habet; nempe corrigere peccata commissa, & prauertere secutura, nunc de correctione seu poena dicendum est, quam in peccatis Clericorum esse grauiorem oportet.

Neque obstat canon 77. Concilii Niceni, in quo Episcopus deprehensus in adulterio deponitur in perpetuum, non tamē communione priuatur, quod etiam can. 25. Apostolorum statuitur. Causa adhibetur, quia non est eadem ratio peccati sacerdotis, & laici. Non enim leuius peccatum sacerdotis dicitur, sed diuersa spectatur ratio, si poenam spectes; Nam officio & dignitate in aeternum priuari Episcopum, magna poena est, idcirco ea contenti canonem fuisse, vt docet S. Basilii, excommunicatio Laicorum poenitentiam requirit, qua peracta in ordinem suum foecitati Ecclesiae restituitur. At Clerici si in adulterio deprehensi fuerint, reparari non possunt, distincti 50. si quis. Nam clericus de adulterio conuictus, toto vitae tempore in monasterio retruditur, distincti 51. Si quis Clericus. Si igitur rem spectemus grauior est poena clericis, quia perpetua; Laici temporaria; ita quoque in Concilio Romano I. in causa Lapsorum à Cornelio habito. Constitutum enim est, vt sacerdotes praeterea poenitentia, & satisfactione, ad Ecclesiam recipiantur, sed omnino functionibus sacerdotilibus abstineant.

Cyprianus Epist. 67. & Epistola 52. Nam & de Trophimo, de quo tibi desiderasti, non ita res est, vt ad te peruulit rumor, & mendacium malignorum. Nam sicut antecessores Trophimus nostri saepe fecerunt, colligendis fratribus nostris, carissimus quamuis frater noster Cornelius necessitati succubuit: & quoniam cum tot rediit, Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & poenitentia deprecationis errorem pristinum consistente, & fraternitatem, restituit. quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione reuocante, audita sunt preces eius; & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrium numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito: susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrium reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, vt Laicus communiceet; non secundum quod

Summum ius visitantis est.

Clerici grauius puniendi.

Perpetua excommunicatio grauius poena.

non est tamen boni

quod

quod ad te malignorum littera pertulerunt, quasi locum sacerdotis usurper.

Deposicio
toto orbe
facta fuit.

Idem Epistola 68. Frustratales episcopatum sibi usurpare conantur, cum manifestum sit eiusmodi homines nec Ecclesia Christi posse praesse, nec Deo sacrificia offerre debere. Maxime iam pridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuerit eiusmodi homines ad penitentiam agendam quidem posse admitti, ab ordinatione autem clerici, atque sacerdotali honore prohiberi.

Et Stephanus apud Euseb. de Episcopis Nouatiani ordinatoribus, vnum ait se ad communionem laicam recepisse. Eodem modo Conc. Sardicenf. c. 1. & Agath. 33. & Concil. Tol. i. c. 4. Absentibus biennio (subdignatus) postea inter laicos reconciliatus per penitentiam communicat. Penitentiam itaque agebant grauiorem quam laici, deinde perpetuo ordinum carebant fructu & honore. Non excommunicabantur, ne triplo grauior esset poena.

Causa
laicorum
delicta
dis
simulatur,
in peccatis
clericorum
locum non
habent.

distin.
43. c. 1.
commessa
tiones.

§. 2. Clericus peccans impune nunquam ferre debet, nec dissimulatione vtendum, quae in laicis siue pelocum habet. Nam mali in Ecclesia tolerandi sunt: quia bonos exercent, & per malos ad meliora excitantur boni, sed Clericorum peccata bonos seducunt, & malos obdurant, ideo nunquam tolerari debent. Non asperere, non dure, non imperiose peccata multitudinis aut prauae consuetudinis corripienda sunt: Quia, quicquid multis peccatur multum est. At Clerici coparatione ceterae multitudinis pauci sunt, ideo facillime puniri possunt, modo in vindicta mansuetudo, & Ecclesiae bonum, non ostentatio potestatis valeat.

Laici tole
randa &
monendi.

Multa etiam peccata Laicorum dissimulant leges, quae in Clericis acriter puniunt. De malis laicis recte dicitur, tolerandos, & associandos, quamdiu de ipsorum correctione non desperatur, 23. q. 4. c. 1. Tolerandi sunt quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur: sed spiritaliter exire, est facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cuiusque, salua pace dissimulare est non tangere. Non enim propheta, qui hac dicebant, populum suum dimiserunt: sed inter eos habitabant, quos increpabant: vnum templum cum eis intrabant, eadem sacramenta celebrabant. Hoc est exire, ore non parcere: hoc est immundum non tangere, voluntate non consentire.

At in Clerico id locum non habet, quia ille corrigere alios verbo & exemplo debet.

Quorum
peccata tra
hant exem
pla non de
bent tolera
ri.

§. 3. Grauiorem poenam merentur peccata sacerdotum quia plures offendunt. Grauius igitur punienda sunt. Nam reuera superiores inferioribus exemplum date tenentur. 8. q. 1. qualis, 12. q. 1. nolo. Seuerata comminatio est, sed vera tamen, 11. q. 3. c. 3. Praecipue Gualdrade pellicis tua, & iam dudum a te repudiata communionem declina: excommunicata est enim, & vsque ad praesentiam nostram ab omni Christianorum contubernio sequestrata. Quamobrem cauendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententia, ac pro vnus muliercula passione vincitur, & obligatus ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in Dei oculis prelati delinquent: ac per hoc ipsi crudelius, quam ceteri puniuntur, vt ait Beatus Gregorius, scire enim prelati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cauius a culpa custodiant, quanto per praua, quae faciunt, non solum moriuntur. Ceterum praecauere, ne quando nobis secundum Domini praeceptum duos aut tres testes adhibeamus, imo vero, ne hoc sanctae Ecclesiae dicamus, & (quod non optamus) de cetero fias cunctis sicut Ethnicus & publicanus. Eadem 2. q. 7. Paulus, & distin. 93. leges inculcant.

Prælati pec
cantes mul
tis digni
mortibus.

§. 4. Quia meliorem vitam professi sunt, & tanquam magnates honorantur, ideoque violenter ad exemplum culpam extendunt, distin. 83. Nemo quippe in Ecclesia nocet amplius, quam qui peruersus agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo

redarguere praesumit, & in exemplum culpe vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis, peccator honoratur. Episcopus itaque, qui talium crimina non corrigit, magis dicens est canis impudicus, quam Episcopus.

gens pecca
ta Cleri, ca
nis impu
dicus.

Quid igitur mirum est, si grauius punitur, quando peccatum eius grauius: sic 17. q. 1. Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione. (Item paulo superius) sunt qui cuncta relinquere & Dei seruitio se subdere, & frano castitatis se restringere deliberant, sed cum post castitatem alios cecidisse conspiciunt, se retrahendo, meritum perdunt.

§. 5. Quia maior in illis scientia, instructio, gratia. 6. q. 1. c. 21. Quare ergo, quis peccet grauius, an qui nesciens in haeresim currens, an qui sciens ab auaritia, id est ab idololatria non recesserit? Secundum quidem illam regulam, quae peccata scientium peccatis ignorantium praeponuntur, auarus cum scientia viuat in scelere. Sed ne forte hoc fiat, facit in haeresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in auaritia scientis admissio, vt haeretici nesciens auaro scienti coaequetur. Item c. 20. eiusdem libri. Vtrum autem Catholicum pessimis moribus alicui haeretico, in cuius vita, praeter id, quod haeticus est, non inueniunt homines, quod reprehendant, praeponeere debeamus, non audeo precipitare sententiam, ita Augustinus.

Scientia &
gratia facit
peccatum
inexcusabi
le.

Cui autem plus datum est, plus requiritur ab eo.

Sacerdos
peccans de
ponitur.

§. 6. Peccata sacerdotum canones ordinarie grauius puniunt. Nam in plerisque officio deponitur, distin. 50. c. 7. Si Episcopus presbyter, aut diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur, & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.

Auctoritate tamen plurium canonum distin. 50. in pristinum gradum vere poenitentes restituuntur, quos non satis conciliant, qui vere poenitentes restitui, sic simulantes non posse restitui censent. Nam de vere poenitentibus canones loquuntur. Dicendum itaque est, & I. Ius hoc esse vt non debeant restitui, & quantumvis Ecclesia videat eorum diuturnam, humilimaque poenitentiam, non tamen eos in pristinos honores restituere teneretur. Idque ea causa ne spe restitutionis simulent poenitentiam. II. In publicis & detestabilibus peccatis, quae vehementer infamant, manente infamia, non restituendos. talia sunt haeresis, apostasia, homicidia, adulteria. Ita canon 34. distin. 50. De his vero visum est nobis scribendum, qui sacros ordines habentes, ante vel post ordinationem contaminatos se esse in capitalibus criminibus consenserunt. In quibus vt mihi videtur, hac distantia esse debet, vt hi qui deprehensi, vel capti fuerint publice in perurio, furto, atque fornicatione & ceteris huiusmodi criminibus secundum canonum sacrorum instituta, a proprio gradu decedant: quia scandalum est populo Dei tales personas sapra sepositas habere; quas vltra modum vitiosas esse constat. Nempe inde retrahuntur homines a sacrificio Dei (sicut quondam, Heli filius peccantibus fecisse leguntur) & rebelles hinc atque contrarii existetes, eorum prauis exemplis quotidie peiores fiunt. Qui autem de praedictis peccatis abscondite a se admisisse, per occultam confessionem coram oculis Dei praesente etiam sacerdote, qui eis indicturus est poenitentiam, confitentur, & semetipsos grauius deliquisse queruntur, si se per ieiunia, & elemosinas, vigiliamque, & sacras orationes purgare certauerint, his etiam gradu seruato, spes veniae de misericordia Dei promittenda est. Neque tamen dubito, quin illa crimina, quibus poena depositionis, cum annexa clausula de non restituendo imponitur, seruari debeat, nec sine legitima causa tolli. Haereticus deponitur, aliam fidem docens deponitur. De his multi canones; & difficillime recipiuntur, non item alii, qui in errore educati, magna infelicitate veris doctoribus caruerunt. Iurans deponitur, si per capillos Dei, ita decretis Pii 7. si quis per capillos.

Infames no
possunt res
titui.

Periurus etiam deponitur: videatur appendix C6. cili Lateranensis de iuramentis seruandis.

Homi-

Homicida. distinct. 50. c. 5. Etiam si se defendens paganum occiderit, suadet, ne sacerdotali munere fungatur. Episcopus 15. sacerdos 12. lex his tres annos in pane, & aqua, diaconus, 10. in pane & aqua penitere iubetur distinct. 50. c. 4. 1. Si quis homicidium fecerit, si Episcopus est, 15. annos peniteat, & deponatur, cunctos quoque dies vite sue peregrinando finiat, presbyter 12. annis peniteat, tres ex his in pane, & aqua, & deponatur superioris sententia. Diaconus 10. annis peniteat, tres in pane & aqua, & ad gradum cuiuslibet sacerdotis accedere non presumat.

Falsarius beneficio priuatur, ita his appendice Lateran. Conc. 113. Qui literas pontificis falsauit in monasterio districtae religionis debet intrudi, beneficio, & officio spoliatus. ita distinct. 50. si Episcopus.

Et distinctione 19. c. 3. In memoriam. Si vero, (inquit) quod non decet, quilibet, siue sit presbyter, siue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolica sede detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non venerit, falsa fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, vsquequo per Epistolam, aut per idoneos suae partis legatos Apostolicam interpellat sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuatur definire, ut & is corrigatur, & ceteris modis imponatur.

Concubinari deponitur, eorum concubinae ex urbibus propelluntur, vide T. 2. p. 1. 36. c. 2. c. Ipse damnantur. T. 3. p. 2. f. 393. c. 1. c. & seq. Vide & t. 4. p. 2. f. 555. c. 1. d. c. & seq. & f. 234. c. 1. d. editionis Binianae.

Vsurarius distinct. 47. degradatur, c. 5. & 1. siue suo, siue alieno nomine id faciat. In his & similibus non deest poena saecularibus, sed tamen nulla pars poenae Clericorum, qui fere deponuntur, est vero grauis depositio, cum enim sit ignominiosa, etiam facultates vitae aufert.

§. 7. Leuiiores etiam culpa, quas leges in ciuibus non puniunt, in clericis tamen grauius puniri solent quia non potest in eo statu esse aliquid leue, quod in initium est malorum ingentium.

Nempe 1. aduocato regulari nihil accipere licitum est, saeculari multa, 15. q. 2. obseruandum.

2. Episcopus rapere dicitur, cum nihil donat, 1. q. 2. Si quis propter.

3. Clericus aliena rapere conuincitur, qui sibi ultra necessaria retinere probatur. At Laici patrimonium sine nota augent.

4. Sacerdos si fuerit de collegio, si in aduersitate ab Ecclesia se auxilio subtraxerit, magis schismaticus, quam sacerdos iudicatur, 3. q. 1. nulli. At timore fugere non datur Laicis vitio.

5. Qui comam nutriunt inuiti ab Archidiacono, si deponere noluerint, derondeantur. Quis Laicorum comas censura dignatur.

6. Tabernaculum intrare non licet Clerico distinct. 43. c. 3. Nulli clerico licet tabernaculum, aut ergastrium habere. Si enim huiusmodi tabernaculum ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? si quis vero tale quid fecerit, aut cesserit, aut deponatur.

At saeculares hac in re ne appellantur quidem. 7. Distinct. 44. 1. & seq. non liceat, si commensationes Laicis damnabiles sunt, quanto magis Clericis.

8. Curiositas in lectione philosophorum & poetarum puniunt, distinct. 37. sacerdotes.

9. Ignominiosum est Clericis affluere deliciis, & Christum pauperem praedicare, distinct. 35. Ecclesiae.

10. Deponuntur & degradantur praelati, & clerici post admonitionem frequentantes domos foeminarum, 81. distinct. Clericus; causam suspicionis tam grauius leges puniunt:

Clericus tabernaculum exhibens deponitur.

Comestiones ventantur. Profanationes. Diuitia ignominiosa Clerico. Causam suspicionis in Clero puniunt leges.

11. Aleatores, ebriosi, & inhonestis ludis dediti deponuntur, 35. distinct. Episcopus.

12. Dilapidator rerum Ecclesiasticarum deponitur, 10. q. 2. & 12. q. 2. diaconi, nec depositus viuere debet saeculariter, sed agere debet penitentiam. Hoc quidem graue est, sed si de eo agit lex, qui suos fructus dilapidat, de tali delicto decernit, quod lex ciuilibis raro punit.

13. Irreuerentia depositione puniuntur, 11. q. si quis.

14. Episcopus, presbyter, vel diaconus ludo seruienti, nisi desinat esse deponendus, 35. distinct. Episcopus, & distinct. 64. Clericum.

15. Negotiator Clericus, ut pestis fugiendus est. distinct. 88. Negotiatorem. At alios negotiari facile patimur.

16. Venatio Clericis prohibetur, & poena imponitur. Decret. l. 5. t. 2. c. 1. Episcopum, presbyterum, aut diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sepius detentus fuerit: si Episcopus est, tribus mensibus est communione; si presbyter, duobus: si diaconus, ab omni officio suspendatur.

Et cap. 2. Omnibus seruus Dei venationes & syluaticas rationes cum canibus, & accipitres aut falcones interdiximus.

Cum igitur Clericorum vel parua, vel maximis minora delicta grauius puniantur, quam Laicorum; non est illa pars disciplinae negligenda: Vbi vero conuenitur non potest stare morum integritas. Non est caritas, sed languor, ubi mali mores non corriguntur, 23. q. 5. non putes. Addam ego, sepe est ambitio, ideo enim multi praelati non corriguntur, quia offensionem timeant, ne suffragia sibi ad maiorem dignitatem obasperitatem disciplinae denegentur; imo multi ita se gerunt, quasi probatores sint vitiorum, quae a subditis committuntur, ne timeantur ut censores, si ad Episcopatum euehantur. Quia in re praelatus incerta spe dignitatis certam damnationem acquirit, & ordinarie Deus tam improbam praesumptionem plectitur infamia & repulsa.

Deinde subditos perdit. Nam non corrigere malos, sed fouere, est eos occidere, 23. q. 5. qui vitios, dist. 45. sed illud. Multi etiam propter obloquia officio defunt. Nam falsa & periculosa misericordia malis indulgent; cum propter asperitatem, vel blandimenta linguae delinquentium correctio postponitur, distinct. 50. Si diaconus. At verus praelatus malorum laudes amare non debet; quia vituperia sunt; neque eorum vereri obloquia, quia laudationes sunt; audiat, in quos iurauit, canones; Episcopus, inquit illi, qui crimina non corrigit, non Episcopus, sed canis dicitur impudicus. dist. 73. nemo. Non est enim crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas.

C A P V T XVII.

Ad bonos mores Ecclesiasticorum facere plurimum vitam communem.

§. 1. IN Ecclesiae moribus & disciplina praecipue est spectanda antiquitas, omnia enim quo propius a suo principio abfuerunt, sinceriora fuerunt. Initialis vero Christi Ecclesiae recens de sanguine redemptoris sui purpurata, communem vitam in Apostolis, deinde in fidelibus post Domini ascensionem approbavit. Ita Clementis Epistola. Dilectissimis fratribus & condiscipulis, Hierosolymis cum charissimo fratre laico coepiscopo habitantibus, Clemens Episcopus: communis vita laudanda est, Frater, omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo dabilis, pro irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, praeterea verum eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit.

Aleatores, ebriosi, & deponuntur. Dilapidator, ludo seruienti deponitur.

Negotiator.

Venator.

Renouanda leges & disciplina, aliqui ex improbitate emendabuntur vitia.

Ambitio conuenit plebs, & damnatione aeterna, & temporaria reposita. Timor obloquiorum vigorem corrigentis hebetat.

Communis vita antiquissima.

Communis vita laudanda est, Frater, omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo dabilis, pro irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, praeterea verum eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit.